DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

HYPOCHONDRIASI.

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE HYPOCHONDRIASI.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ROBERTUS WIGHTMAN,

HIBERNUS,

Soc. Chir. Lond. Sod.

NEC NON

Legionis Duodecimae Chirurgus.

Implexis ita principiis ab origine prima
Inter ſe fiunt conſorti praedita vita;
Nec ſine vi quicquam alterius ſibi poſſe videtur
Corporis, atque Animi ſeorſum ſentire poteſtas.

LUCRET. 3. 332.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

Honorabili

GEORGIO AUGUSTO NORTH,

FREDERICI DOMINI NORTH

Filio natu maximo,

Optimo patre,

Reipublicae quidem decore et lumine,

Digniſſimo,

Qui, quanquam antiquae gentis ſuperant ſibi laudes,

Non quaerit, quid quaque index ſub imagine dicat,

Sed generis priſcos contendit vincere honores,

Quam ſibi majores, majus decus ipſe futuris,

Hanc Diſſertationem Academicam,

Qualis ea cunque eſt,

Grati certe animi,

Summaeque obſervantiae,

Teſtimonium,

Lubens offert

A U C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31962890_0002

CORRIGENDA.

Pag. 2. *l.*	4.	hujuſmodi
4.	1.	concoquuntur
6.	15.	quae quidem
8.	7.	circumvecto,
11.	5.	procliviores *lege* provectiores;
11.	11.	venoſa fit plethora;
13.	4.	Quaerit, Vel
15.	10.	Æſtuat,
15.	15.	Optat
17.	19.	hoc
19.	16.	amaritie
20.	1.	Quid, quod
20.	4.	Harpyiaeque ?
20.	19.	" frequens
21.	18.	genere
25.	2.	perturbationibus
27.	6.	Et rediit ad ſe :
27.	13.	ipſa re cenſentem
28.	14.	infringatur,
33.	17.	chamaemeli
34.	3.	ingeſta
34.	13.	eſt. In
34.	20.	ſtimulus
40.	4.	contagia
41.	17.	oblectamentum. Aliis

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYPOCHONDRIASI.

PROOEMIUM.

MORBI, qui vulgo Nervoſi appellantur, minus quam alii ab auctoribus ſigillatim dijudicati, imo etiam univerſi fere ſub uno atque eodem titulo confuſe et permiſte agitati ſunt. Hoc profecto, quod ad dyſpepſiam, hyſteriam, et hypochondriaſin attinet, veriſſime affirmari poteſt. Ex indiciorum diverſorum

nempe ſimilitudine factum eſt, quod ſua propria cujuſque forma non recte deſcripta fuit. Idem ſane, quod Cicero praeclare dixit de artibus, quae ad humanitatem pertinent, hic quoque de hujuſmodi morbis proponi debet: "Omnes habent quoddam commune vinculum, et quaſi cognatione quadam inter ſe continentur [a]."

"Quamvis autem pluribus inter ſe ſint ſimiles, atque ita imperitis facile impoſuerint, verumtamen procul dubio forma haud adeo indiſcreta exiſtunt, ut certis quibuſdam notis quiſque agnoſci nequeant. Huc pertinet, quod olim magnus Sydenhamus, curioſus ille morborum indagator, enunciavit. Quippe reperiuntur morbi, qui ſub eodem genere ac nomenclatura redacti, ac quod ad nonnulla ſymptomata ſibi invicem conſimiles, tamen et natura inter ſe diſcreti, diverſum etiam medicandi modum poſtulant [b]."

Quod quidem ex hypochondriaſi, de qua paucis jam tractare viſum eſt, manifeſto deprehendetur.

CHA-

[a] Orat. pro Arch.

[b] Praef. ad Op.

CHARACTER.

"Dyſpepſia, cum languore, moeſtitia, et metu, ex cauſis non aequis, in temperamento melancholico [a]."

HISTORIA.

Affectuum quibus mortales patent vix ullus eſt, qui plura ſui det ſigna, quique ſimul tum corpus tum animum latius exerceat; unde jure a Mead nominatur, "totius corporis morbus."

Etſi autem hic ſit morbus totius corporis, id eſt, nullius certi viſceris, aut partis, attamen ſignis dyſpepſiae praeſertim comitatur, quorum in primis omnium ſunt faſtidium cibi ac nauſea. Appetentia cibi eſt incerta, modo

[a] Synop. Noſ. Method.

modo nimia, modo nulla, ingeſta male concoquantur. Acidae ſubſtant viſcidaeque cruditates. Stomachi roſio, cardialgiam quam vocant, inflatio ac tenſio eſt ingens, nec non dolor, quaſi ex gravetudine ortus, a paſtu recrudeſcens. Flatus aliquando ſunt nidoroſi, et ructus acidi ora, velut aceti ſapore, torquent. Vomitus fit, quo vel glutinoſa materia, vel liquida, eaque adeo acris ut dentes ſtupefacere valeat.

Graves ſentiuntur tenſiones ac tumentiae, praeſertim ſub coſtis ſpuriis, ſaepe in hypochondrio ſiniſtro, ubi tumor nonnunquam formatur.

Circa umbilicum, atque in inteſtinis, praecipue tenuibus, aliquando tormina et vehementes vellicationes, ſaepius murmura cum ſonitu infeſtant.

Alvus ſemper fere adſtricta eſt, interdum vero ſolvitur.

Flatus nunc morantur, nunc emittuntur, ex emiſſione quidem aliquod eſt levamen ; aſt homo iis rurſum brevi renatis itidem, ut antea, vexatur.

Urina

Urina profluit ſaepe tenuis et copioſa, aliquando autem parum mutata redditur.

Renum regio quaſi ex calculo dolet.

Saliva abundat, ideoque crebrius fit ſputum.

Pectus affligitur admodum anguſtiis atque anxietate. Spiritus difficulter movetur; cor palpitat tremitque.

Ingraveſcente malo, caput, id eſt, nunc tempora, nunc frons, excruciatur.

Aures intra ſe ipſae ſonant, atque auditus eſt difficilis.

Vires deficiunt, corpuſque quodammodo torpidum, cuivis labori minus promptum.

Somnus haud in promptu eſt; et quamvis perfugium omnium ſolicitudinum videtur, tamen ex eo ipſo plurimae curae motuſque naſcuntur; nam quaecunque horrenda viſu tunc animo ſeſe objiciunt.

Signa

Signa modo memorata et numero et gradu variant; morbus utique ex actionibus, animales quae audiunt, inordinatis nimirum, magis innoteſcit. Moroſitas enim, moeſtitia, ac timiditas, nunquam non adſunt. Hoc morbo laborans, cauſis impellitur quam leviſſimis, nodos utique in ſcirpo quaerit, "et motae ad Lunam trepidabit arundinis umbram." Hoc quidem ipſum, divinus ille poeta, qui hominem varium quomodocunque et mutabilem graphice depinxit, paucis, luculentioribus tamen verbis, enunciavit:

Alas! it cry'd—Give me ſome drink, Titinius,—
As a ſick girl.—— [a].

DE SIGNORUM QUORUNDAM CAUSIS.

Concoctio certe, ſtomacho nempe infirmo, diutius moratur; hinc fiunt cruditates, quaequidem, illo ipſo jam

[a] Shakeſp. Jul. Caeſ.

jam praegravato cibi faſtidium cum nauſea pariunt. Ex fermentatione, vires ſtomachi ſuperante, aciditas atque inſolita aëris copia oriuntur, quae cardialgiam atque inflationem excitant. Valet quoque eodem conditio ſucci gaſtricum quem vocant; hic enim, ſanitate ſcilicet vera, fermentationem temperat; ſecus autem, vel parum, vel talis quae nullius ſit momenti, effunditur. Aciditas, jam ſua ex mora auctior, ſtomachi tunicam vellicat, itaque dolorem atque appetentiam cibi movet. Porro autem aër ſtomachum, fibris ad ſiniſtrum hujus orificium ſtimulatis, invertit quodammodo, unde is ipſe per ructus acidos diſcutitur.

Cum fibrae hoc in malo ſemper rigent, torpetque vis nervoſi generis, tum aſtringant ſe inteſtina, tum relaxent cunctanter neceſſe erit. Hinc aër plurimus evolvitur, qui vagus huc, et illuc, nullumque utramvis in partem reperiens exitum, flatus cum murmure, ac quibuſdam in locis diſtenſiones moleſtas ingenteſque dolores, faceſſit. Cum autem inferiores fibrae, quae dudum contractae iter negabant, ſeſe aliquantulum relaxerint, tum protinus aër ſupra coactus cum ſonitu, quippe in

anguſtiorem

anguſtiorem locum detruditur. Dolor ſub coſtis ſpuriis ex hoc praecipue urget, quod colon ibi magnam patitur flexuram, atque anguſtius fit.

Cum adſtrictio relaxatioque inteſtinorum, ut jam dictum eſt, langueat, facile patet, cur alvus, ſpaſmo praeſertim praevalente, dura moratur. Praeterea, bilis ſanguine in vena portarum tardius circumvecta, minus ſecernitur, atque inteſtina ſolito privantur ſtimulo. Id ſtercoris itaque, quod liquidum ſit, abſorbetur, et reliquum acrimoniam capiens, tunicam inteſtinorum vellicat; unde diarrhoea etiam frequentius ſubſequitur.

Tubuli urinam vehentes, ſpaſmo utpote correpti, illam ſolito tenuiorem tranſmittunt; hoc autem ceſſante, priſtinum quid deſidit.

Renum pelvis, aut ureteres, itidem affecti, anguntur dolore, quaſi ex ipſo calculo.

Saliva abundat, pro ſtomacho male habito.

Multa

Multa quae incidunt pectori, ex conſortio, quod ei cum ſtomacho eſt, explicari poſſunt. Enimvero anxietas huic, cruditatibus onuſto, diſtento ab aëre, aliquove acri irritato, ſaepe debetur. Eadem porro iſta ſpirandi difficultate, quae quidem ipſa fit ex inflato ſtomacho, eoque facili diaphragmatis deſcenſui obſtante, interdum oritur.

Cordis quoque palpitatio ex ſtomacho laborante ſaepe accidit; plerumque vero cor fortius micat, quo impedimenti quid amoliatur; et hic, corpore profecto languente, vires ſibi proprias ita vindicare atque augere videatur.

Caeterum hinc toto corpori quoddam eſſe conſortium cum ſtomacho, atque indidem compluria alia mali hujus ſigna intelligi poſſe videntur.

Denique, conſortio inter mentem et corpus craſſis occultata et circumfuſa tenebris latet, ut nulla acies humani ingenii uſque adhuc fuerit tanta quae eandem plane expedire quiverit. Omnino igitur iſtum timo-

B rem,

rem, et infractionem animi, et demiſſionem, quae in hoc morbo apparent atque exſtant, in praeſentia, ne attingere quidem convenit.

Quae hominem huic morbo proclivem faciunt.

Proclivitas in hunc morbum eſt fere ſemper haereditaria ; nam plerumque morbi quoque per ſucceſſiones quaſdam, ut alia, traduntur.

Luxuria autem atque ignavia, utpote et mentem, et corpus hebetantia, hunc in exitum ſpectant ; adeoque homines loco ſuperiores hypochondriaſi frequentius, quam minuta plebes duro labori aſſueta, laborant.

Viris ſaepius quam foeminis incidit ; quippe illi, fibris nimirum ſuis rigidioribus, melancholico temperamento magis patent.

Hypochondriaſis totius quodammodo corporis affectus, ex ejus certe conditione diverſa pro aetate variatur.

Homines

Homines adoleſcentes quibus dies, mente ſcilicet haud in unum quidquam egregie intenta, curioſitate ſubinde impulſa, vel novitate capta, in gaudio laetitiaque, in juvenilibus ludis jociſque fluunt, nunquam advenit; aetate autem procliviores, in cogitatione et actione negotioſa verſatos, rerum familiarium et domeſticarum ſatagentes, ambitionis labore et honorum contentione diſtrictos, invidentia denique flagrantes, corripit urgetque.

Porro autem, aetate progreſſa, eo magis imminet, quia tum venoſa plethora, fibraeque rigeſcunt.

Clariſſimi Wintringhami experimenta docent, rationem arteriarum venarumque animalium variari pro variis aetatibus. Hae quidem in juventute firmiores ſunt ac denſiores, illae contra tenuiores laxioreſque. Arteriis igitur juniorum, quam ſeniorum, plus ſanguinis pro rata parte continetur, id eſt, arterioſa plethora exiſtit. Procedente autem aetate, earum tunicae majorem pro portione, quam venae, preſſum patiuntur; ideoque fiunt denſiores; unde illae neceſſario minus ca-

pere

pere poſſunt, hiſque ſua vice plus ſanguinis ineſt. Sic profecto arterioſa plethora minutatim dilabitur, et, ſi forte ipſum corpus plenius poſtea evadat, venae magis repleantur neceſſe eſt.

Fibrae quoque pariter mutantur. Hae ſane in pueritia et juventute ſunt molles flexileſque; cor vi diſtendente ſanguinem aequabiliter atque conſtanter propellit; vaſorum ramuſculi magis ſunt numeroſi, et circumvectio ſumma ſub cute bene procedit; atqui in aetate provecta fibrae, quippe quibus plus terreae materiei jam acceſſit, denſiores fiunt, motibuſque cordis atque arteriarum minus obſequuntur, unde exhalationes deficiunt, congeſtioneſque facilius intus formantur.

Mutationi corporis tam conſpicuae, ſimul et animi mutatio reſpondet vix minus notabilis. Juventuti irritabilitas, ſenectuti torpor inſident; ſuum characterem, ſuos proprios affectus, utraque exhibent. Juvenis enim "iram colligit ac ponit temere, et mutatur in horas;" ſenior autem eſt placidus et lenis, gravis conſtanſque, meticuloſus

meticuloſus et diffidens hominum veſtigia vitat; eique avaritia cor riget.

"Multa ſenem circumveniunt incommoda; vel quod quaerit, et inventis miſer abſtinet, ac timet uti; vel quod res omnes timide gelideque miniſtrat [a]."

Caeterum haec tum animo, tum corpori, temperamento ſcilicet melancholico, majorem in modum accidunt; ideoque valentiſſima ad proclivitatem, imo vero morbum ipſum conficiendum, haberi debent. Quod cum ita ſit, temperamentum iſtud medicos omnis aevi advertit, itaque ejus notae accurate expoſitae ſunt.

Jam vero corpus eſt exile et macrum; cutis craſſa, fuſca, hirſuta, impreſſionem extrinſecus minus ſentiens; nec ullus quidem rubor genis, nec faciei candor; crines ſuperciliaque ſunt nigra; pulſus arteriarum lentior; circumactio ſanguinis, quippe fortaſſe craſſioris, cunctantior; ſecretiones parcae; alvus adſtricta; torpor haud parvus nervoſae vis; fibrarum rigor, veniſque ratio ſanguinis copioſior.

Tali

[a] Hor. A. P.

Tali autem corpori animus reſpondet. Ad gravitatem enim triſtitiamque inclinatur; commotiones longius manent; hinc amor, amicitia, odiumque diuturniora; tarde in iram accenditur, minuſque placabilis; cum ipſa ſolitudine loqui ſaepius mavult; contemplationis, quam actionis amantior; in ſtudia doctrinae, qualis ea cunque ſit, perſpicax omni cogitatione curaque incumbit; avocamenta et variae oblectamina vitae haud cupide appetit; demiſſior res perverſe, id eſt, in pejus interpretatur; terrifica, et quaecunque ducant in ſeria ſenſa, captat.

In hoc quidem temperamento, ſi uſquam, humor, qui ab antiquis audit atra bilis, quaerendus eſt; ubi viſcera pituita et cruditatibus, nec non animus triſtitia ac deſperatione opprimitur.

Caeterum illud ipſum fortaſſe, ex contrario ejus, ſanguineo nempe, animadverſo, liquidius innoteſcet.

Hic vero corpus eſt plenius; cutis laevis, candida, tactum vel leviſſimum ſentit, facies rubicunda, oculi caerulei;

caerulei; capilli non nigri, ſed ſubflavi; arteriarum pulſus citatior; ſanguinis circuitus liberior; ſecretiones copioſae; mollities fibrarum propria; mobilitas nervoſi generis; arteriiſque ratio ſanguinis auctior.

Animi deinde nuſquam reſidentis volutatio exſtat; hinc amor, odium, moeſtitia, gaudium, ſe invicem, horae momento, excipiunt; hinc "injuriae, ſuſpiciones, inimicitiae, induciae, bellum, pax rurſum." Homo, "Quod petiit, ſpernit; repetit, quod nuper omiſit; aeſtuat, et vitae diſconvenit ordine toto [a]." Denique, amor voluptatum, facillimi commodique mores, motuſque animi concitatiores exſtant; poſtremo, fortitudo, atque inſatiatus ardor periculi ultimum audendi hic, in ſuo quaſi proprio ſolo, naſcitur vigetque:

"Spumantemque dari pecora inter inertia votis optat aprum, aut fulvum monte deſcendere leonem [b]."

Haec fere de iſtis temperamentis auctores memorant, unde affectus humanos explicare voluerint; obliti tamen,

[a] Hor. Epiſt. 1. l. 98.

[b] Virg. Æn. 4. 157.

men, ut mihi videtur, cauſas, quae morales appellantur, moris conſuetudiniſque vim, idearum conſociationem plus eodem valere.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Cum hic morbus raro calidis regionibus, ubi aër purus eſt ac quietus, innaſcitur, vix dubitari poteſt, quin aër frigidus ac humidus, remiſſis nempe fibris, atque exhalatione per cutem impedita, unde ſanguis praeſertim in vena portarum congeritur, eum excitare valeat.

Sanguinem vero magis minuſve inaequaliter hoc in malo diffundi putandum eſt, quia ſolita vis qua ad extrema vaſa deferatur, corpore ſcilicet jam languido ac torpente, deeſt. Hinc liquido innoteſcit, quare haemorrhoides tam ſaepe eodem tempore adſint, et ſecretiones, quarum par modus gradu circumactionis fere pendet, imminuantur.

Quod

Quod ad animum vero pertinet, Sanctorius jamdudum ſatis recte monuit, hilaritatem corpuſque fieri agile pro exhalatione per cutem magis minuſve libera; contra autem gravitatem hujus illiuſque triſtitiam pro eadem impedita ſentiri. Hinc fruentibus calido ſiccoque coelo ineſt facultas imaginandi, quae magis ad ſeptentriones ſpectantibus admodum raro contingit. Hinc denique intelligitur contritum vetuſtate proverbium, tardi ingenii opprobrium Baeotica ſus. Hic quoque notari debet literarum diſciplina, majore ſtudio agitata, quae ut animo praecipue omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt. Hinc omnes pene literarum cupidi, muſarum delubra colentes, atque ii cum primis, qui, literis haud vulgaribus, ſed interioribus quibuſdam et reconditis involuti, corporum ſuorum robora inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerunt, quam maxime hypochondriaſi ſubjecti ſunt.

Caeterum, ſedentaria vita ſtudioſis compluria praeter ea mala, quae ex hac fonte recta derivantur, faceſſere ſolet.

Homines certe ad agendum nati ſunt, atque exercitatio quadam tenus ad ſanitatem tuendam eſt maxime neceſſaria. Labor quidem corpus firmat, ſanguinem diffundit, aequalius nervis dat vim auctiorem, atque animo hilaritatem affert; per ignaviam vero ſanguis, muſculorum ſcilicet momento privatus, tarde cunctanterque circumvehitur, ad extrema vaſa minime pellitur, atque adeo exhalationem per cutem minui, majoremque illius copiam ad interiores partes averti, neceſſe eſt.

Quid denique et quantum mali ab ipſa corporis inclinatione, quae ſtudioſis, iiſque praecipue melancholici temperamenti, inter acerrimam atque attentiſſimam cogitationem fieri ſolet, excitari poſſit, Hoffmannus accurate propoſuit [a].

Quatenus deinde affectus, deprimentes quos vocant, hominem hebetent, nemo neſcit. Melancholici autem, utpote

[a] Ventrem premit, inteſtinorum flexuras in anguſtiam compellit, vaſa meſenterii, quae ad venam portae decurrunt, comprimit, et hoc modo liberum ſanguinis progreſſum intercludit; exinde vero humorum ſtagnationes et viſcerum infarctus ſuos natales trahunt.

utpote cuncta in deterius trahentes, atque eorum, quibuſcunque ſemel commoti ſint, patientiſſimi maxime omnium illis periclitantur. Ea ſane eſt mentis corporiſque conjunctio, ac tale conſortium inde ambobus enatum, ut horum alterum ab alterius motu et dolore moveatur, doleatque. Ex toto quidem genus nervoſum inde torpore languet, veruntamen ſtomachus atque inteſtina in primis male habentur. Hinc ciborum appetentia perit, cruditates abundant, moleſtia atque gravitas praecordia premunt; quae omnia modo de ſubito, ſaepius tamen tarde, accedunt. Conſortium ejuſmodi Baglivus experientiſſimus optime notavit: "Qui laborant animi pathemate, corripi potiſſimum ſolent morbis ventriculi, ut inter caeteros obſervamus in moerentibus, qui conqueruntur primo de languore ventriculi mox vero de inappetentia, oris armaritie, et ſiti circa horas matutinas, cruditatibus acidis et nidoroſis, flatibus, et tenſionibus hypochondriorum, aliiſque laeſae chyloſeos malis."

Nunc vero, ſi triſtis ſuperſtitio inſederit, cui quidem malo homines ejuſmodi opportuniores ſunt, mox omnia

ſingula

ſingula vitalia infeſtabuntur. Quid, imagines earum rerum in animum incurrent, quae nunquam omnino fuerunt, nec eſſe potuerunt, ut Scyllae, ut Chimaerae, ut Centauri, Gorgones, Harpyaeque?

Porro autem venus immodica corpori humorem genitalem adimens, maciem facit, et fibras rigidiores praeſtat; atque adeo proclivitate nempe vigente, perinde forſitan hoc malum, quam arthritida excitare valeat. Si vel robuſtiſſimis ſanguinei temperamenti torporem et animi et corporis faceſſat, quanto magis melancholicos jam procliviores laeſura eſt? Apud auctores quidem eſt, hos magis, quam illos blando quire ſupereſſe labori. Eatenus profecto hoc vere dicitur, ut is ſit modicus, utpote qui ſalutiferos homini, irritabilitate nimirum deficiente, ac torpore ſuperante, ſtimulos adigit. Hinc Celſus obſervat: "Concubitus rarus corpus excitat." Notum vero eſt, collapſum pro rata portione excipere magnam incitationem; unde cauſa intelligitur, cur, eodem auctore, frequens ſolvit."

Talis

Talis deinde torpor huic temperamento ineſt, ut ſtimulos ſibi ſubtrahi tuto pati nequeat. Verum eos concubitus frequentior ſubtrahit; hoc enim veſicularum ſeminalium tenſio, ſtimuli haud parvulum adjiciens, remittitur. Neque vero nobis aliter cauſam, quae tam ſubito multumque corpus infirmat, expedire in promptu eſt. Melancholici igitur cane pejus et angue vitent damnoſam venerem, judiciumque Celſi illis maneat alta mente repoſtum.

Praeterea hic morbus aliquando haemorrhoidas ſuppreſſas excipit, aut, ſi praeceſſerit, iiſdem magis ingraveſcit. Satis conſtat, haec duo quaſi cognatione quadam inter ſe contineri. "Haemorrhoides quando proveniunt, et legitime continuant, malum hypochondriacum ſolvunt. Quando autem per illarum ſuppreſſionem hoc malum inductum eſt, contumaciſſime ſe gerit [a]." Deinde proculdubio apparet, iſta ſaepe iiſdem, ut aëre puta humido, generae vitae quieto ac lauto, habitu corporis pleniore, alvo compreſſa, tum excitari, tum augeri.

Denique,

[a] Junck. Conſpect. Med, Theor. Pract. Tab. 36. pag. 321.

Denique, hypochondriaſis interdum in corpora prioribus malis fracta et debilitata ingruit; hinc melancholici, qui colica, diarrhoea, aut dyſenteria defuncti ſint, illi magis patent.

Haec fere ſunt, quae nomine cauſarum occaſionalium dignari videantur.

Ad ſummam, ubicunque melancholicum temperamentum praepollet, ibi haud raro perlevia momenta valent excitare. Hoc profecto illud eſt, quod excitantibus moderatur, morboque dat ſuam propriam formam, qui quidem, eo abſente, et corpore vel ſimilibus objecto, potuiſſet exiſtere varius, verbi cauſa, dyſpepſia, arthritis, haemorrhois. Hinc magnus Sydenhamus, ordine quo natura morbos generat, more ſuo, id eſt, perquam ſagaciter animadverſo, ait: "Adeo ut quilibet morbus ſpecificus affectio ſit ab hac vel illa ſpecifica exaltatione, vel ſpecificatione ſucci cujuſdam in corpore animato, ortum ducens [a]."

CAUSA

[a] Praef. ad Op.

CAUSA PROXIMA.

De hac quidem multae ſunt diſputationes, variae et diverſae, quas ſingulas nec memorare, nec animadvertere, nec aeſtimare, in animo eſt. Illud vero in univerſum affirmari, ſalvo pudore, licebit, quod niſi et morbus ipſe acri intentione ab omnibus aliis dijudicetur et diſtinguatur, nec non etiam temperamenta ac ſingulae nervoſi generis conditiones, in quibus verſatur, ſumma cum diligentia notentur, nihil vel probabilis conjecturae de hac re fieri poteſt. Jam vero excitantia quae memoravimus, et corpus ipſum, aetate progrediente, quodammodo mutatum, nec non primigenium temperamentum, haec omnia ſcilicet amice conjurantia, in venis denique congeriem ac torporem nervoſi generis faceſſunt. Hinc ſtomachi actiones impediuntur, languor ac laſſitudo dominantur, et graviora adhuc mala laeſae mentis ſuboriuntur. Duo iſta genera ſeſe invicem augebunt; ſatis enim conſtat, motus inter nervoſum genus

et

et vaſa ſanguinem vehentia eſſe reciprocos, id eſt, alterum alterius auxilio egere; hinc, torpore vigente, circuitus languet, et, hoc languente, illum aggraveſcere neceſſe eſt.

DIAGNOSIS.

Hyſteria ſane, dyſpepſia, ac melancholia aliquam habent ſpeciem ſimilitudinis cum hypochondriaſi.

In hyſteria autem acceſſio ſaepe ſit adeo ſubita ac vehemens, ut aegra concidat, ſopore et convulſionibus exerceatur, animaeque defectionem inſtar mortis patiatur. Quod certe, ut et ſenſus globi in abdomine ſe volventis, ad ventriculum et fauces aſcendentis, ibique ſtrangulantis, nec non etiam acerrimus dolor verticem excrucians, cui nomen apud medicos, a quadam clavi in cerebrum adacti ſimilitudine, eſt clavus hyſtericus, hypochondriaſi nunquam adeſt.

Altera

Altera deinde, ex amenorrhoea nempe, ſubitiſve animi perturbationibus orta, promptiorem curationem recipit; altera fere eſt perdiuturna.

Hyſteria denique juniores, eaſque ſanguinei temperamenti, in quibus mobilitas nervoſi generis cum fibris remiſſis exſtant eminentque; hypochondriaſis contra homines ſeniores, melancholici temperamenti, quibus inſunt torpor cum fibris intentis, affligat. Qui vero plura ad accuratam diagnoſim ſpectantia videre cupiunt, quod ad cauſas attinet, ſigna, et curam, Hoffmannum conſulant, qui fuſe et enixe de hac re ſcripſit, praecipua huc pertinentia indigitaſſe ſufficiet.

Dyſpepſia homines ſanguinei temperamenti, quibus mollior flaccidiorque habitus ſit corporis, invadit; hypochondriaſi vero melancholicum temperamentum nunquam non ſubeſt. In altera deinde animus minus patitur; in altera vero idem anxius, ſolicitus, timidus, moeſtus, ſolitudinis amans, per diem perque noctem mala ſua propria gemitu ſuſpiriiſque teſtatur, id ipſum,

quod eſſe differentiam momenti haud mediocris contendimus.

In dyſpepſia, denique, alvus haud aeque comprimitur, nec non motus ſpaſtici ſunt rariores minoreſque.

Ac de his quidem ſatis probabiliter fortaſſe dictum eſt; ſed hypochondriaſin dignoſcere melancholia, inter morbos tam ſimiles limites accuratos ponere, hoc opus, hic labor eſt. Melancholicum enimvero temperamentum, uſque adhuc proprium, nunc fit utriuſque commune.

Melancholia aliquoties, rarius tamen, dyſpepſiae ſignis, nimia cura de valetudinis ſumma, nec non vana formidine mortis, comitatur.

In melancholia deinde imagines aliter atque in hypochondriaſi fallunt; in hac timor ingentis inſtantis mali, aut mortis ipſius hominem ſolicitum aſſiduus inſidens urget; in illa aeger itidem accipit imagines, vanas quidem falſaſque, ſed tamen interdum nec triſtes

omnino,

omnino, nec turbidas. Hic aliquando fortaſſe non multum abludit ab aegro illo, quem nobis curioſa Horatii felicitas propinavit:

> " *Hic ubi cognatorum opibus curiſque refectus,*
> *Expulit elleboro morbum bilemque meraco,*
> *Et redit; Pol me occidiſtis, amici,*
> *Non ſervaſtis, ait; cui ſic extorta voluptas*
> *Et demptus per vim mentis gratiſſimus error* [a]."

" Eadem deinde ab hypochondriaſi et hyſteria differt, quod ab interno cerebri vitio, non partium caeterarum culpa, deducendum ſit delirium [b]."

At vero clariſſimum Cullenum, qui unus eſt, inſtar omnium de hac ipſa recenſentem, audiamus: " Hypochondriaſis et melancholia non ſemper diſtingui poſſunt. Si quando autem poſſint, nullo alio ſigno quàm per dyſpepſiam in hypochondriaſi ſemper praeſentem, in

[a] Hor. Epiſt. II. 2. 128.

[b] Sauvag. Noſ. Method. vol. 2. p. 251.

in melancholia ſaepe abſentem, rite, quantum video, diſtinguenda ſunt [a]."

Caeterum liceat, pace quod fiat talis auctoritatis, dicere, deſipientiam ſeu delirationem, quae huic aliquando adſit, adeo tum ſua natura, tum ſequentibus, ab ea, quae illam ſemper comitatur, differre, ut id ipſum, lapidis inſtar Lydii, alterum ab altera ſecernere ſufficiat. Re quidem vera, hypochondriaſis ipſum intervallum, ſeu iſthmum, ſi ita loqui liceat, inter dyſpepſiam et melancholiam facere videtur.

P R O G N O S I S.

Morbus hicce, fere diuturnus, plus moleſtiae, quam periculi, faceſſere ſolet.

Si vis vitalis haud multum imfringatur, ſi malum ſit recens, ſi vita ſedentaria, humido coelo, vel haemorrhoidibus

[a] Synop. Noſ. Meth. p. 257.

rhoidibus ſuppreſſis excitatum fuerit; tunc profecto, illis vitatis, profluvioque ſanguinis reverſo, aut tolli omnino, aut admodum levari poterit.

Contra ea autem, ſi malum penitus inſederit; ſi corpus ſit perfractum, atque idem ſenile; ſi denique ſpaſmi inteſtinorum et vehementiores fiant et frequentiores, una cum frigore in extremis partibus, tantum abeſt ut curatio ſit ſperanda, ut ne periculi quidem parvulum immineat.

RATIO MEDENDI.

Nunc vero, cum animus ſimul et corpus afficiantur, curatio ad utriuſque habitum dirigenda eſt. Cauſas occaſionales igitur, quae morbum alunt augentque, vitari; moleſtiora deinde, quae urgeant, amoveri vel levari; humorum denique expediri circuitum; nec non torporem tolli, ac priſtinum animo vigorem reſtitui, conveniet.

Horum

Horum quidem primum, utcunque difficile, tamen omnino tentandum eſt; nulla enim curatio, niſi cauſae occaſionales prius ſublatae fuerint, quicquam proficiet. Quid tandem torporem minuat? Quid vim nervis, ad vitae actiones neceſſariam, reddat? Dum improba Siren deſidia non vitatur, aſſidue dum peregre eſt animus ſine corpore velox.

Quietis igitur atque otioſis, omnibus literarum percupidis, exercitatio ſubinde atque avocamenta imperanda ſunt. Sed quid ego ipſe plura loquar? Senecam potius verba ſolemnia effatum audiamus: "Miſcenda tamen iſta, et alternanda ſunt, ſolitudo et frequentia. Illa nobis faciet hominum deſiderium, haec noſtri, et erit altera alterius remedium: Odium turbae ſanabit ſolitudo, taedium ſolitudinis turba. Nec in eadem intentione aequaliter retinenda mens eſt, ſed ad jocos revocanda." "Danda eſt remiſſio animis; meliores acrioreſque requieti ſurgent. Animorum impetus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti et remiſſi. Naſcitur, ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quaedam et languor." "Indulgendum eſt animo;

mo; dandumque ſubinde otium, quod alimenti ac virium loco ſit; et in ambulationibus apertis vagandum, ut coelo libero et multo ſpiritu augeat, attollatque ſe animus. Aliquando vectatio iterque, et mutata regio, vigorem dabunt, convictuſque et liberalior potio."

His ſane medicus illud ſolum addere habeat, quod, cum ex altero nimis ſubito tranſire in alterum ſemper nocet, exercitatio, remiſſior primum, augeri paulatim, ſemperque citra fatigationem, fieri debet.

Deinde, ſi regio in culpa eſt, in calidiorem ſiccioremque tranſire proderit; hic enim humores majore vi ad cutem verſus impellit, unde exhalatio per eandem augetur, congeſtioneſque internae minuuntur; quibus ex omnibus cum corpori, tum animo, novum robur accedet. Si quid autem obſtat, quo minus coelum mutetur, humidi injuriae aëris veſtibus, frequente exercitatione vinique liberaliore uſu, propulſentur neceſſe eſt [a].

Haemorrhoides

[a] De Tranq. An. extr.

Haemorrhoides porro ſuppreſſae congeſtiones nonnunquam in vena portarum faceſſunt. Quomodo hae curandae ſunt mox dicetur; in praeſentia iis, quae illi morbo auxilientur, id eſt, quaecunque plenitudini occurrant, cujuſmodi ſunt cibus permodicus, laticum generoſiorum abſtinentia, mollis alvus, qua commode ſatis excernatur, exercitatio, geſtatio, &c. pugnandum eſt.

Caeterum quid agendum eſt, ſi animi perturbationes morbum excitarint? Enimvero in hujuſmodi caſu loci commutatio nihil juvabit; nam "patriae quis exul ſe quoque fugit?" Sequitur ſe ipſe, et urget graviſſimus comes. Fruſtra medicamenta ingeruntur; nullis homo eſt medicabilis herbis. Quae enim vel valentiſſima quicquam proderit illi miſerae, quae "gravi jamdudum ſaucia cura, vulnus alit venis, et caeco carpitur igni." Aut infeliciori illi, qui aegritudine angitur ex eo, quod alter quoque potiatur ea, quam ipſe arſerit? Hic ſane papaver ſomniferum, ſuccuſve mandragorae, aliaque id genus, omnino nihili ſunt.

Quo

Quo demum auxilio utendum eſt? Reſtat quidem aliud nihil, niſi, tabernis pharmacopolarum praetermiſſis, id petere ex ſapientiae officinis, quas philoſophi inſtruxerunt. Apud hos certe, utpote artis medicae miniſtros, "ſunt verba et voces," de patientia nimirum ac fortitudine, "quibus lenire dolorem poſſis, et magnam morbi deponere partem."

Ac de cauſis occaſionalibus hactenus; videamus nunc de iis, quae aut diſcutere moleſtiora aut mitigare poſſint.

Quoniam autem ſtomachus, atque inteſtina praecipue omnium, parteſque reliquae, ſaepe ex conſenſu duntaxat, infeſtantur, ſigna ibi male dominantia ſummam animadverſionem deſiderant. Haec vero ſunt cibi faſtidium, nauſea, aciditas, inflatio, ſpaſmi, alvuſque compreſſa.

Cibi faſtidium cum nauſea ex cruditatibus fiunt, haeque aut leni vomitu per chamomeli infuſum, ipecacuanham, aut molli purgatione per oleum ricini, pulverem e jalappa compoſitum, diſcutiendae ſunt.

Aciditas nimia eaque aucta tum cibis aceſcentibus, qui citius in fermentationem abeant, tum ipſo ſtomacho languente, qui injecta in duodenum propellere nequeat, complures moleſtias exhibet; unde illos cujuſmodi ſunt fructus ſubacidi atque olera vitari, hunc ſtimulantibus ſolicitari neceſſe erit. Denique, ad ſtomachi aciditatem ſales fixi alcalini, aut medicamenta abſorbentia quae audiunt, ſatis commode faciunt.

Inflationum auxilia ſunt, quaecunque ſpiritum digerant, atque inhibeant ſpaſmos; ad quod ſane liquor aethereus vitriolicus maxime omnium proficit.

Idem quoque, ut et moſchus, camphora, opium, &c. ſpaſmis vehementioribus praeſidio eſt, in omnibus quidem inteſtinorum ſpaſmis cucurbitulae ſine ferro defixae cito ſaepe proſunt. Ea enimvero inter extrema ſuperficiei atque inteſtinorum vaſa conſortio eſt, ut haec, humoribus ad illa revocatis, multum leventur. Eodem praeterea valent calida fomenta, eaque ſicca, utpote ex quibus homo plus caloris ſuſtinere queat. Hinc major ſtimulos per laneos panniculos ſubinde ex calida fortiter

et

et ad ſiccitatem fere expreſſos, ut calor ſcilicet aequabilis fiat, ſatiſque diu impoſitos parti, extremis vaſis admoveri poteſt. Quod ſi haec parum profecerint, confugiendum eſt ad opiata. Haec quidem pleraſque omnes hypochondriaſi laborantium querelas compeſcere ſolent; quippe quae non modo corporis dolorem leniunt, ſed etiam ſomno accerſito curas anxias, idque in primis acerrimae de valetudinis ſumma cogitationis, quod aſſidue animo inſidet, tantiſper certe ſepeliunt. Caeterum periclitantibus inde alvo adſtrictiore molles per clyſteres ſuccurrendum eſt.

Denique, alvus dura, ſicut ſtomachi aciditas, multa inſuper, quae propria ſunt hujus mali, affert; torporem enimvero et congeſtiones in abdomine adauget, nec non infractionem animi et demiſſionem aggravat. Hinc Celſus ait, "Ubi venter ſuppreſſus parum reddit, ex eo inflationes, caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt."

Hypochondriaſi autem aliquot dyſpepſiae ſigna aliquando abeſſe, alvum vero compreſſam nunquam non

adeſſe,

adeſſe, niſi ex occaſione praedicta, crediderim. Hanc quidem curare convenit, non iis quae magnopere exinaniunt, adeoque ipſam poſtea duriorem reddant, ſed iis, quae aut inteſtina humectent lubricentve, aut eorundem majora praecipue ita afficiant, ut demum exonerarentur. Atque hujus modi ſunt oleum ricini, et quorum confectio ex aloe conſtat.

Quod ad cibum attinet, vix nimia ejus cura haberi poteſt, ut alvo ſuppreſſae occurratur. Humidum eſſe magis quam firmum expedit; qualem ſcilicet aeger ipſe ſtomacho non alienum, atque alvo adſtrictiori occurrentem expertus fuit.

Conſuetudo, quaſi altera natura, etiam in motibus non voluntariis pollet; ideoque talis certo quodam tempore deſidendi aliorumque id genus et inſtitui, et nunquam non teneri debet.

Congeſtio quidem in venis ac torpor juncta ſimul coeunt, et plerumque iiſdem fiunt ex cauſis; itaque eadem ambobus praeſidio eſſe videantur.

Hic

Hic autem praefari licet, auctores, hunc morbum agitantes, omnia ſingula, quae flaccidis viſceribus ſuum tonum reſtituant, decantaſſe. Quid tandem aliud ab iis exſpectari potuiſſet, qui mala, nervoſa quae audiunt, cuncta eſſe pene ex toto eadem, aut ab iis, qui hypopochondriaſin ex fibris remiſſis gigni, opinati fuerint?

Enimvero, quatenus debilitas morbi diuturnitate fuerit effecta, aliquot ejuſmodi medicamina, in primis quorum confectio ex chalybe conſtat, nonnihil ad vim vitae tuendam juvare quiverint. Debilitas vero ipſa, ſiquando occurrat, pro effectu, non cauſa, habenda. Ne torpor pro debilitate falſo habeatur, ſemper cavendum eſt; alius ex aliis cauſis oritur, atque alia poſtulat remedia; illi ſtimulantia, huic vero corroborantia, praeſidio ſunt. Plerumque autem vis corporis haud imminuitur, atque adeo talia, rigiditate nempe fibrarum inde conſecuta, noxam augeant. Iſta certe parum reſpondiſſe experientia ſatis ſuperque teſtatur.

Caeterum, ſi genus totum nervoſum laboret, ſi partes firmiores quodammodo mutentur, atque ambitus humo-

rum

rum ſit inaequalis, propria et certa ſanatio ſperabitur, non ab iis, quae ſtomachum tantummodo aliquantiſper, ſed ab iis, quae totam et univerſam compagem torpidam quadam tenus afficiunt, et, ſi fieri poteſt, mutant.

Hujuſmodi autem eſt calida lavatio, ſiquidem exhalationem per cutem promovet ac fibrarum rigiditati occurrit; neque minus ad mala aëris frigidi vitaeque quietae arcenda facere videtur. Unde ait Sanctorius: "Hypochondriaci, ſi frequentibus balneis eorum corpora reddantur perſpirabilia, et victu humido utantur, ſani fiunt."

Frictio quoque frequens ad eandem exhalationem juvat, atque inſuper ſtimulum corpori toto adhibet. Hac certe veteres ſemper fere longinquis in morbis utebantur, ideoque eam nonnihil prodeſſe credere par eſt.

Geſtatio quidem navi humores ad cutem verſus agit, atque animum occupat; diuturna tamen nocet, quia alvum, utique ſi plerumque dura fuerit, adſtrictiorem reddit. Hoc profecto notandum venit, quod, dum humores

mores praecipue ad cutem verſus geſtatione diriguntur, reliquae interea ſecretiones excretioneſque, motu ſcilicet muſculorum minus agente, imminuuntur.

Deinde, ſi aeger ſenior praeſertim, in quo proclivitas dominatur, melius ſeſe per aeſtatem, quam hiemem, habuerit, tum hac tempeſtate tranſitus in calidam ſiccamque regionem, quae tali morbo vacat, idque auxilii continenter, quod lavatio calida frictioque ſubinde, praeſtat, nonnihil ſane ad torporem et congeſtionem in venis ſolvendam profuturus eſſe videatur.

Atqui illa, quae ſupra poſita ſunt, multum quamvis, non ſatis tamen proficiunt, niſi exercitatio acceſſerit. Haec profecto ipſa eſt, quae ſanitatis ſeminarium exiſtit; utpote quae, Galeno auctore, " calorem inſitum auget, excrementa expurgat, et partes firmiores corroborat."

Caeterum ad omnia accedere neceſſe eſt, quaecunque abſtruſerint triſtitiam, animumque ad hilaritates traduxerint. Univerſa enimvero materia medica, metu

nimirum

nimirum et deſpiratione animum urgentibus, aut non multum aut nihil omnino auxiliabitur. Quod quidem ex peſtis cujuſlibet hiſtoria, morbive in oppidis obſeſſis contagio agentis, liquido diſci poteſt.

Cum vero metus urget, curantem inſinuare ſe aegro oportet, atque Avicennae memorem dicentis, plus interdum prodeſſe fiduciam medici, quam ipſam medicinam, hoc agere, ut fiducia in illis, quae imperentur, afferatur. Hac enim habita, rerum quam viliſſima aliquando opitulantur; abſente autem, hypochondriaſi laborantes, ſaepe vel peritiſſimis offenduntur medicis, atque empirico hiſtrioni, alia atque alia quaſi ſola venditanti, ludibrio fiunt.

Moeſtae quidem querelae hominum, qui hoc morbo afficiuntur, quanquam ex cauſis non aequis ortae, pars magna ſunt mali, molliterque pronis auribus accipi debent. Neglectus enim atque irriſus, praeter aegri offenſionem, medico ipſi infelicem ſecuritatem ſaepe pepererint, unde hae nugae ſeria ducent in mala. "Juvenem memini," ſagax Morgagnus loquitur, "hypochondriacum

driacum nimis et aſſiduis, inanibus ut plurimum, querelis eorum medicorum aures jam diu laſſare ſolitum; cum idem febri correptus faceret; ipſi autem, ut conſueverant, minus crederent, febremque illam contemnerent, antea ipſum, doloſo morbo confectum, deceſſiſſe, quam illi periculum non dico praedicerent, ſed praeſentirent [a]."

Animus, ſecum habitans, inque ſeſe ſubinde deſcendens, aut ſentiet, aut aerumnas ſemper novas ſibi creabit; quamobrem cane pejus et angui vitanda eſt ſolitudo.

Jucundum nihil eſt niſi quod reficit varietas; ideoque ruſticatio convenit, qualis multiplici novitate et copia operum naturae oculos moveat et delectet, animumque hilaret.

Trahit ſua quemque voluptas; ergo ſuum cuique aegro laudandum eſt oblectamentum, aliis Euterpe ac

F Terpſichore

[a] Morg. Ep ſt. 45. extr.

Terpſichore laetiores affectus dulciloquis flatibus citharisque movent, imperant, augent; aliis comica Thalia, quae gaudet ſermone laſcivo; atque adeo hos, diu a medico tractos, Moliere ille feſtiviſſimus demum expedierit.

Quaecunque vero oblectamenta corpus exercitent, iis ante omnia, ut ambulationibus, venatione, aliiſque ſub dio contentionibus, diligenter utendum eſt.

Peregrinatio longa, in equo praeſertim, utpote quae, grata varietate objecta, acrem atque intentam cogitationem diſcutiat, nec corpus fatiget, ſaepenumero curatio efficaciſſima evaſit. Haec enimvero humores digerendo ſolvit congeſtiones, ac nervoſum genus excitando torpori occurrit. Caeterum magnum Sydenhamum, decus et lumen medicinae, commoda ejus differentem, audire juvat. "Cum enim in hac Gymnaſticae ſpecie impetus ferme omnis in ventrem inferiorem fiat, in quo vaſa excretoria (quotquot faeculentiis, in ſanguinis maſſa ſtabulantibus, educendis a natura inſtituuntur) ſita ſint; quae tanta functionum perverſio, aliave organo-

rum

rum naturalis impotentia vel fingi poteſt, cui tot ſuccuſſationum millia eodem die ingeminata, idque ſub dio, opem non adtulerint? Cujus calidum innatum uſque adeo deferbuerit, ut hoc motu non excitatur, et denuo effervefcat? Quae vero ſive praeternaturalis ſubſtantia, ſive ſuccus depravatus in aliquo harum partium ſinu recondi poteſt, qui non hoc corporis exercitio, vel in ſtatum naturae conſentaneum perducatur, vel quaquaverſum diſſipetur, elimineturque? Quid? quod ſanguis perpetuo hoc motu indeſinenter exagitatus, ac permiſtus quaſi renovatur ac vigeſcit [a]."

[a] Sydenh. Diſſert. Epiſt. ad D. Cole.

F I N I S.